



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum  
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1614**

Med. 55. De funere Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

vidit vulneratos adeò, & crudeliter habitos, mansit eius cor dolore transfixum, & oculi conuersi sunt in fontes lachrymarum, quibus eos cœpit rigare, optans, si licuisset, capillis suis eos tergere, sicut alias fecerat: dilectus verò Discipulus, rectà accessit statim ad pectus, in quo proxima nocte recubuerat; quod, vbi à latere vidit lancea apertum, sacrum illud vulnus osculabatur; & oculorum suorum lacrymis rigabat, cupiens etiam ingredi, vt somnum alium cōtemplationis dormiret, proximo profundior. O felices animas, quibus datum est tangere & complecti sacratissimum illud corpus: Fac mihi, Domine, potestatem, vt spiritu ego illud complectar, me ipsum in tuum amorem transformando. Ex nunc eris mihi *fasciculus myrrha, qui inter vbera mea commoretur*, quem & oculis meis aspiciam, & omnibus mei cordis affectibus diligam.

## MEDITATIO LV.

DE CHRISTI DOMINI  
funere.

## PUNCTVM. I.



VM Virgo sacratissima, aliquantulum in gremio suo Filij sui corpus habuisset, tradidit illud Iosepho & Nicodemò, vt pietatis illud officium

implerent, retinens sibi spineam coronam, & clauos, tanquam pignora & monilia pretiosissima.

**I.** VIRI autem illi accipientes corpus vnixerunt illud centum libris myrrhae & aloes, ita vt totum corpus vnguento illo repleretur. ad significandum quod illud sacratissimum corpus, inde ab initio suae conceptionis, vsque ad vltimum vitae suae spiritum, semper vixerit myrrha laborum & mortificationum repletum, quod totum corpus mysticum Ecclesiae suae, & quodlibet eius membrum simili myrrha vnctum, a culpa corruptione praeseruaretur. Et quoniam centenarius numerus significat perfectionem, centum istis libris significatur, quod nostra mortificatio debeat esse perfectissima, & in omni genere virtutum exactissima, qualis fuit ipse Christi, iuxta illud, quod dixit

*a Can. 5.5. Sponsa: a manus mea stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Memento Anima mea, omnino serio huius myrrhae dilecti tui, qua vnctas corpus tuum, b 2. Cor. 4. 10. mortificationem Iesu semper in corpore tuo circumferens, vt vita Iesu, in tua vita manifestetur.*

**III.** PERACTA hac vnctione, c inuoluerunt illud in sindone munda, & sacrum caput sudario: d ligantes illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire. O Virgo sacratissima, quantum dolorem cor tuum senserit, cum vidisti obuolutum vultum filij tui,

tui, in quem aspicere desiderabas, plus quàm illi Angeli cœli! ô facies purior Sele, quis te ferali isto amictu operuit! ô Adam cœlestis, qui te mortuorum animalium pellibus vestiuit! charitas tua hoc effecit, quò Adamum terrenum, à morte liberaret; & peccatorum meorum nubem dissiparet, quæ diuini tui vultus aspectum mihi prohibet.

PERPENDI quoque potest amor & affectus Christi ad paupertatem, vt qui voluerit, & myrrham, & sindonem, & sudarium ex elemosyna habere, sicut & ipsum sepulchrum voluit sibi tantum esse accommodatum. hoc nos exemplo docens, eam virtutem amare, quam ipse tantopere amauit; & re ipsa illam exercere & experiri in vita & in morte, sicut ipsum videmus exercuisse.

## PUNCTVM II.

**I**N VOLVTVM & ligatum corpus, piè creditur, feretro fuisse impositum, sicut moris erat mortuos deferre. Totus verò ille comitatus piarum mulierum sequebatur plorans, cum Matre Defuncti; quæ flebat, sicut vidua illa Naim, filium suum vnicum in ætatis flore defunctum. O DEVS benignissime, cur non venis obviam desolatæ huic Viduæ, dicisquæ ei: *2 noli flere?* cur non *loculum ipsum tangis*, in quo benedictus hic Iuuenis, *filius vnicus eius*, &

IV.

L

a Luca 7. 13

tuus defertur, ac dicis illi: *Adolescens tibi dico, surge; ut illum postea des matrisua, quæ sine eo ad eam sola ac desolata manet?* Sed video Domine non adhuc esse tempus: nam prius oportet b Ionam esse in ventre Ceti, & christum hominis in corde terra tribus diebus, & tribus noctibus, ut inde postea exeat rediuiuus.

b Iona 2. i.  
e Mat. 12.  
40.

## II.

P I E quoque credendum est, Angelorum Choros in duas partes fuisse diuisos, quorum altera animam Christi comitaretur, ut postea diceretur; altera verò diuinum hoc corpus: quod etiam erat diuinitati coniunctum, ut illud pro dignitate honorarent, & impleteretur quod scriptum est: *d & erit sepulchrum eius gloriosum*, ob plurima, quæ conueherunt ad illud honorandum, quorum vnum fuit hic sanctorum Angelorum comitatus. De quibus dicere possumus quod dixit Isaias e *Ange i pacis amarè flebunt*, non quòd verè flerent, sed quòd, si lachrymarum capaces essent, ipsorum charitas vrgeret eos flere cum flentibus, vbi ad eam aderat iusta causa flendi. O Angeli pacis, impetrate mihi amarè flere mortem mei Domini; & lachrymis cordis mei eos comitari, qui eandem flent; siquidem ego fui causa, cur ita ipse tractaretur, ut omnes meritò ad flendum permoueret.

d Isai. 55. 10

e Isai. 33. 7

{0}

PVNCTVM. III.

ERAT a autem in loco, vbi crucifixus est, a Mass. 27. hortus; & in horto monumentum nouum 60. a ipsius Iosephi a. d. quod ipse exciderat in Pe- b Joan. 19. tra, b. c. in quo nondum quisquam positus erat, 41. a & aduoluit saxum magnum ad ostium mo- c Luc. 23. numenti; & abijt. d Marc. 13. 46.

PRIMUM qualitates istius sepulchri sunt consideranda, quod CHRISTVS Dominus sibi elegit, acceptum a Ioseph, qui illud exciderat. PRIMA proprietas est, quod esset in quodam Horto: nam sicut primus Adam peccauit in horto, vbi mortis poenam incurrit, ita voluit secundus Adam, hoc peccatum in alio horto flere: & in alio sepeliri: vt primum & a peccato, & a morte liberaret.

I.

SECUNDA proprietas est, quod esset Nouum: cum enim hic Dominus nouus esset Adam, & homo nouus, non debuit, nisi nouum sepulchrum suo corpori eligere: sicut quando ingressus est mundum, elegit pro suo corpore vterum Virginis, qui instar erat sepulchri licet noui, in quo nullus positus fuerat: quia semper fuit Virgo, e Hortus con- c Gen. 4. 12. clusus, & hospitium solius Christi, in quo nec sponsus eius Ioseph vllam partem habuit, sicut nec alter hic Ioseph, partem vllam habuit in sepulchro, quod sibi ipse exciderat.

II.

TERTIA proprietas, quod esset excisum in petra siue rupe, vi & violentia ferri exca-

III.

uata, vt significaretur sepeliendam in eo Petram viuam Christum, grauissimis laboribus cælatum. de quo dixit æternus Pater, *Ecco ego cælabo sculpturam eius & multas foneas fodiam in ea, & auferam iniquitatem terra illius in die vna*: nam virtute vulnerum, quæ diuinus hic lapis suscepit, remissum est peccatum, quo terra vniuersa erit infecta. O Petra viuua, fac me petre instar fortem, cœla me malleo laborum, vt fiam sepulchrum, in quo perpetuò manere possis, Amen.

f Zach. 3.9.  
Iuxta lxx.  
Ego fodiam foneas in eo.

IV.

IN hoc sepulchro posuerunt sanctissimū hoc corpus humiliante se eo, qui est super cœlos, vt sub terra, inter mortuos collocaretur. g *Posuerunt me* (ait David) *in lacu inferiori, in tenebrosis & in vmbra mortis*: quod ita statuit hic Dominus, vt nos, hac sua humiliatione, ab inferiori inferni lacu, & tenebris ignorantia, & vmbra mortis, quæ est peccatum, liberaret, secum enim sepeliuit omnia vitia mundi, vt virtute mortis suæ, & ipsa mortua & sepulta æternū manerent. O Dei h sepulchrum verè gloriosum, quia intrate claudis eum, qui est splendor æterni Patris, gloria Angelorum, honor mundi, salus & vita hominum. Libera me, ò sacrum Sepulchrum ab obscuro Inferni lacu, & mortali vmbra peccati; admitte me intrate, vt moriar & i consepeliar cum eo, qui mortuus & sepultus est pro me.

g Psal. 87.7.

h Isai. 11.10

i Rom. 6.4.

V.

ULTIMÒ considerandum est, proponi nobis in hoc mysterio, debitam ad sacram

Com.

Communionem præparationem: nam, quia Præpara-  
 consecratio corporis & sanguinis Christi tio ad Cō-  
 Domini nostri, in diuersis panis & vini spe- munione.  
 ciebus, significat eius mortem, vt supra dixi-  
 mus, in qua sanguis eius fuit à corpore sepa-  
 ratus; ita communio sacra, refert nobis i-  
 ipsum sepulchrum. nam Sacratissimum hoc  
 corpus, cum quinque vulueribus plenis me-  
 ritis, quæ ab ipsius Passionis mirra proue-  
 nerunt, inuolutum, tanquam sindone, velo  
 specierum panis, intrat in corpus nostrum,  
 tanquam in sepulchrum: quod meritò esse  
 debet *horti* instar, odoriferis virtutum flori-  
 bus pleni; & *nouum* ob renouationem vitæ,  
 expulsis omnibus præteritæ fœtoribus;  
 vt mundum omnino maneat, atque si  
 nunquam in eo aliquid mortuum positum  
 fuisset, debet quoque *excisum* esse in *petra* ob  
 fortitudinem & magnam constantiam, quã  
 habere debet in tolerandis mortifica-  
 tionibus & tribulationibus huius vitæ.  
 Debet item esse *prope montem Caluarium*;  
 quia semper oportet occupari cogitationi-  
 bus afflictionum Christi crucifixi, & imita-  
 ri eximias ipsius virtutes.

H A C præparatione efficietur sepul-  
 chrum gloriosum CHRISTI, qui liben-  
 ter ad illud ingredietur, & gratiæ suæ do-  
 nis ditabit. Post ipsam verò communio-  
 nem lapis magnus supra portam sepulchri  
 adhibendus est, vt securè & fortiter seruetur  
 thesaurus reconditus, oclusâ portâ cordis



& sensuum ad omnia, quæ tantum thesaurum possunt mihi deprædari: ideoque me ipsum cum ipso Domino, quem habeo intra meipsum sepeliam, ut cum illo loquar, & gratias agam pro tanto in me collato beneficio. Siquidem (teste S. Gregorio) ipsa contemplatio, est instar sepulchri spiritus, in qua spiritus occluditur & absconditur cum Christo in Deo. Conare, anima mea, cum Iosepho ab Arimathæa, ungeri ipsum Dominum myrrha perfectissimarum mortificationum, & involuere sindone noua & & munda cum magna vitæ puritate. Da eidem proprium tuum sepulchrum, quod est cor tuum, magna firmitate coelatum: sic enim eris sicut Ioseph, quæ vox significat crescentem, quia, quoties communicaueris, crescas in virtutibus, donec peruenias ad habitandum in ciuitate cœlesti, quæ per Arimathæam significata, interpretatur excelsa, & in excelso collocata clarè videt I Deum

k Coloss. 3. 3.

Iansen. esp. 244. con- cordia.

1 Psal. 83. 8.

Deorum in altissima arce sanctæ sion.

(.)

